

quo pacto potuit? *CH.* non sati' tutus est ad narrandum 35  
hic locus.

*DE.* at tu intro abi. *CH.* heus ne filii quidem hęc nostri  
resciscant volo.

## ANTIPHO

iv

820 Laetus sum, utūt meęe res sese habent, fratri optigisse quod  
volt.

quam scitumst ei(u)s modi in animo parare cupiditates  
quās, quom res advorsae sient, paullo mederi possis!  
hic simul argentum repperit, cura sese expedivit;  
ego nullo possum remedio me evolvere ex his turbis 5

825 quin, si hoc celetur, in metu, sin patefit, in probro sim.  
neque me domum nunc reciperem ni mi esset spes ostenta  
huiusce habendae. sed ubinam Getam invenire possim, ut  
rogem quod tempu' conveniundi patri' me capere iubeat?

## PHORMIO ANTIPHO

v

*PH.* Argentum accepi, tradidi lenoni, abduxi mulierem,  
830 curavi propria ut Phaedria poteretur; nam emissast manu.  
nunc una mihi res etiam restat quae est conficiunda, otium  
ab senibus ad potandum ut habeam; nam aliquot hos  
sumam dies.

*AN.* sed Phormiost. quid ais? *PH.* quid? *AN.* quid- 5  
nam nunc facturust Phaedria?

quo pacto satietatem amoris aīt se velle absumere?